

cim, quæ in portu Neapolitano erant, veritæ ne intercipi perentur, egressæ ad insulam Megarem jactis anchoris se continuerunt. Ferdinandi classis ad Bajas substituit. Iis nunciatis rebus, Nolani, Atellani, Capuani, aliaque vicina municipia propenso ad illum studio celeriter redierunt: videbanturque reliquæ ejus regni civitates idem facturæ, si modo rex firma cum manu eodem accederet. Ille autem per se omnibus ab rebus, quæ ad bellum sunt usui, præsertimque a pecunia plane imparatissimus, magistratum Venetum, qui vetusta consuetudine ea in urbe reipublicæ hominibus juri dicendo præerat, perhumaniter est allocutus: *se se quod Neapolim recuperavisset, reipublicæ acceptum referre, quæ fœdus cum Alexandro, reliquisque regibus iniisset: quod autem superesset (quod quidem certe magnum, atque perplexum sciret esse, tot municipiis toto in regno, tot munitis oppidis Gallorum imperium secutis) ejus se fidei, liberalitatique permittere.* Eo sermone apud illum habito, Federicum patrum cum navibus longis tribus ad Antonium, quem in Apuliam cum classe venisse intellexerat, conveniendum, seque illi commendandum propere misit.

*Antonii
Grimanires
ges & in re-
gno Neapo-
litane.*

Antonius, paulo ante ad Sasonem insulam Senatusconsulto accepto, tantum in Apuliam trajiceret, Brundusium, quod municipium ad Gallos non transferat, venit. Oppidani Antonium amice atque benivole excepérunt, eique se dedere voluerunt, atque ut insigne reipublicæ in oppidi foro sustolleret, ab eo magnopere petiverunt. Antonius Brundusinis collaudatis, atque ut in regis sui fide permanerent cohortatus, ibi dies aliquot, dum quid imperarent Patres scire posset, est commoratus. Illi autem nisi de fœderatorum sententia, Hispaniæque in primis regum consociata voluntate, qui classem paratam habebant, nihil omnino agere constituerant. Itaque a legato regio missi in Siciliam nuncii, ejus rei eventum tardiorum reddiderunt. Accepto tandem altero Senatusconsulto, quo bellum Gallis inferre jubebatur Antonius, biduo scalis reliquisque rebus ad oppugnationem oppidorum compa-